Ausculta o fili precepta magistri et inclina
aurem cordis tui · et admonitionem pii patris
libenter excipe · et efficaciter comple · ut ad eum
per obediencie laborem redeas · a quo per inobediencie
recesseras desidiam Ad te ergo nunc meus sermo
dirigitur · quisquis abrenuncians propriis voluntatibus
domino christo vero regi militaturus · obediencie
fortissima · atque preclara arma assumis · In
primis ut quicquid agendum inchoas bonum · ab eo perfici
instantissima oracione deposcas · ut qui iam nos
in filiorum dignatus est numero computare non debeat ali
quando de malis actibus nostris contristari Ita enim ei
omni tempore de bonis suis in nobis parendum est · ut non
solum iratus pater non aliquando suos filios exheredet · sed
nec ut metuendus dominus irritatus malis nostris ut ne
quissimos servos perpetuam tradat ad penam · qui eum
sequi noluerint ad gloriam · Exurgamus ergo tandem
aliquando excitante nos scriptura ac dicente Hora
est iam nos de sompno surgere · et apertis ocu
lis nostris ad deificum lumen · attonitis auribus audiamus

License: cc-by-nc – Wien, Österreichische Nationalbibliothek, Cod. 3839, Cod3839_1r – Missale (?)
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-tot3/2739/31342)